



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Speculum Monasticum


In Quo Totius Religiosæ disciplinæ Casus, Regulæ & difficultates clarè videntur, breviter explicantur & resolvuntur Canone, rationibus & Patrum auctoritatibus

Philippus <a Domina Nostra Septem Dolorum>

Augustæ Vindelicorum, 1688

Cap. XLII. De Correctione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40761



CAPUT XLII.

De Correctione.

S U M M A R I U M.

- I. *Quomodo debet fieri correctio.*
- II. *Omittentes corrigere, quomodo peccant.*

I. **D**iximus in capite præcedenti, (cum quo istud maximam habet connexionem) quod Prælati tenentur ex officio subditos corrigere, & punire, eo, quod sint veri pastores & rectores suorum subditorum; nunc videndum, quomodo id facere debeant, & qualiter peccent hoc omittentes. Dico igitur, Prælatos seu Superiores religionum debere in omnibus diligentem cautelam adhibere, ut comedat eos zelus Domus Dei, & non zelus malus in corrigendo, hoc est, odium, vel invidia, *cap. finali, de offic. custod.* nemini parentes: agant tamen mitius cum spontè confesso, quam cum convicto, *cap. ex litteris de furto*, & sub spe emendationis non confidant nimis: Tales sint erga subditos, quales vellent esse erga seipfos Præpositi, si essent subditi,

I. Iudici, observent præcipuè ea omnia, quæ illis
 proponuntur à *Concil. Trid. sess. 23. de reformat.*
 scilicet ut se pastores, non percussores esse
 meminerint, atque ita præesse sibi subditis oportet,
 ut non eis dominantur, sed illos tanquam
 filios, & fratres diligant, elaborentque, ut hor-
 tando, & modò monendo ab illicitis deterreant,
 ubi deliquerint, debitis eos pœnis coërcere
 cogantur: quos tamen, si quid per humanam
 fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est
 servanda præceptio, ut illos arguant, ob-
 crepent, increpent in omni bonitate, & patien-
 tia. *Timothei 4.* quia sæpè plus erga corrigendos
 agit benevolentia, quàm austeritas, plus ex-
 hortatio, quàm comminatio, plus charitas, quàm
 crudelitas; quod si ob delicti gravitatem virga
 opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum
 misericordia iudicium, cum lenitate severitas
 adhibenda est, ut sine asperitate disciplina po-
 sit salutaris ac necessaria conservetur, & qui
 correcti fuerint, emendentur, aut si resipiscere
 voluerint, ceteri salubri in eos animadversionis
 exemplo à vitiis deterreantur; cum sit diligen-
 tia, & pii simul Pastoris officium, morbis ovium
 primùm adhibere fomenta; post, ubi mor-
 bus gravitas ita postulet, ad acriora, & graviora
 descendere: sin autem, ne ea quidem proficiant,
 illis submovendis, ceteras saltem oves à conta-
 gioso periculo liberare: *Hæc sunt propria verba
 Concilij supra citati.*

Pars II.

r

II. Omit-

II. Omittentes corrigere suos subditos ex negligentia, vel ex timore, facile peccant mortaliter, quia tenentur illos ad viam perfectionis inducere, & instruere: Addunt aliqui etiam peccare mortaliter omittentes corrigere subditos in aliquibus peccatis venialibus, quibus introducuntur consuetudines religioni contrariae, quia hoc cedit in magnum illius detrimentum. *Thomas de Jesu, de Visit. regular. tract. 1. cap. 6.* Præterea Prælati, non corrigens subditum, peccat contra iustitiam, quia peccat contra obligationem sui officij, quæ est ex iustitia: Unde in confessione non satis erit illi, dicere se omisisse correctionem proximi, sed debere addere, ad quam ex officio tenebatur. Meminerint etiam Prælati, quod non increpantes sibi subditos errantes, illos occidunt, & scientes subditos peccare, & non punientes, dicuntur illorum depravatis moribus consentire, *cap. consentire, dist. 83. & Sanctus P. Augustinus vocat tales Prælatos Canes impudicos in cap. Nemo, dist. 83.* Denique, qui peccantibus consentit, & defendit delinquentes, maledictus erit apud Deum, & homines, & corripitur increpatione severissima, *cap.*

qui peccantibus

9. 3.



CA-